



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Provincia Aqvitania.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67132)

PROVINCIA
AQUITANIA.



LVIT hoc anno de nostris Aquitania Prouincia centum ac septemdecim. Tolosæ vndequinquaginta. Vndequadraginta nero Burdegala. Decem Mauriaci. Vndeiginti Ruthene. Abierunt è vita nouem. Ad Societatem tredecim accesserunt.

TOLOSANVM, RVTHENENSE,
& Mauriacense.

T OLOSÆ nostri pro consuetudine institutoq. suo in animis recuperandis euigilant. Sexdecim per eos Deus, hæresis errore discusso, ad Catholicam vocauit Ecclesiam. ac ne latius ea se contagio diffundat, multa quotidie hæreticorum volumina comburuntur. Scholæ auditoribus augentur, quibus non minori curæ pietas ac religio, quam litterarum studia sunt. adiunctiq. sunt Societati quatuor, ne qui ad alios ordines discesserunt, enumeremus. Habita sunt conciones in duobus oppidis celeberrimis magno animorum compendio. Et vt cetera taceatur, penetrabāt viri feminaq. promiscue in
mu-

mulierum cœnobîa, nulla pudoris aut religionis ratione ducta: quod cum multorum malorum seminarium eſſet, noſtrorum opera effectum eſt, vt contra hominum licentiam ſacræ illæ Deo mulieres, arctioribus clauſtris continerentur. Cum autem ad ſananda vitia tota eius concionandi ratio dirigeretur, & grauibus aliquando verbis ſœnorum damnaretur iniquitas, exiit in conuentu publicus ſœnator, qui ſubito dolore incenſus, ex iniquis antea vitæ ſœnerationibus, iuriſurandi religione ſe obſtrinxit, ſe, vt in poſterum ſœnerationibus abſtineret, & peccatum ſuum nouæ vitæ laude corrigeret. Erat etiam in eo oppido, quadrageſimæ tempore, magna menſarum impunitas ac licentia. carnes enim vorabantur & oua, nullo dierum discrimine, nulla religione ieiunij. nunc concionum beneficio, patria conſuetudine reuocata, ieiunij legi complures obtemperant. cautumq. à conſulibus eſt, ne non modo carnes, ſed ne butyrum quidem publice vendi liceat. Alio in oppido cum vix quatuor eſſent familiæ, quæ non mutua inter ſeſe flagrarent inuidia (totum enim oppidum, ſummo omnium periculo, in tres erat diuiſum diſtractumq. partes) Deo bene inuante, facta eſt compoſitio. reuocataq. ad concordiam familiæ quinque, & irarum extenuata principia, dum ad extremum omnis illa diſſenſionis flamma compreſſa eſt.

RVT HENÈ ad Societatem adſcripti ſunt duo. ad Catholicos quattuor. Recens autem ſemper eſt noſtrorum ad labores alacritas, neque comittunt, vt operam ſuam vel ciues vlli, vel pagani deſiderent.

Ani-

Animarum autem siti, ardua suscipiuntur itinera, ingenti cum utilitate: iacent enim animi tum medicis tum curationibus destituti. qui denique ubi in nostrorum manus venerint, confessionis medicina sanantur. In montibus editissimis, cum niue obsita essent omnia, vir quidam occurrit obuius, ut à peccatis absolueretur. gerendusq. mos ei fuit vel in ipso cursu, ardentissime postulanti; qui dum labes animi confessione perpurgat, non sentit gelida se niue perfundi. sed caritatis ardor peruaserat animum, quæ ubi teporem dispulit peccatorum, externum quoque contemnit algorem. nudum caput nix operuerat, index intimæ pœnitentiæ, ut cineris vetus illa conspersio. pater quoque cum pœnitente niuibus redundabat, ut à viatoribus agnosci vix possent. quo in itinere cum eos nox oppressisset, & niuium pene obrueret altitudo, medio in itinere nixi cum religione genibus, ad Deum oculos precesq. conuertunt. haud surdo Deo fusa precatio. Statim eis rusticorum domus ostenditur, quò se ex algore tenebrisq. recipere: ibiq. noctem illam ab iniurijs tuti calestibus quieuerunt.

MAVRICI suas quisque partes cum laude sustinet. Multi partim industria colloquijsq. nostrorum, partim sacramentorum vsu, qui paulo iam maior extitit, ad bonam frugem euadunt. sed admirabiles animorum commutationes, ne quem per imprudentiam prodamus, cogimur præterire. Nec tamen licuit, in hos ciues perpetuas huius anni curas laboresq. conferre: cum enim hostilis hæreticorum

rum

rum grassaretur impietas, & iam ciuitatis faucibus immineret, duobus tantum in Collegio relictis, discedendum reliquis fuit in proximos pagos: vbi tamen nobiles viri duo duodecim dierum spatio nos perhumaniter exceperunt. quo tempore ne de animis benemerendi consuetudo intermitteretur, data est opera serendis diuini verbi seminibus, quæ suis temporibus fruges ferant. Iam è Gymnasio quantum commodi ad animos deriuetur, dies ipsa declarat. Bellico autem, quem significauit, tumultu, cum visum esset nostris paulisper abesse, auditores nostri longo interuallo & quidem non sine lacrimis prosequuti sunt abeuntes. Eorum nonnulli in patriam redire coacti, numquam induci ab hæreticis potuerunt, vt ieiuniorum religionem, quæ ab Ecclesia Catholica statis temporibus imperantur, vetitis epulis violarent. cumq. ex his vnus imprudens è carnibus pingue iusculum hausisset, ubi de ceteris quid sumpsisset, agnouit, totum diem assidue collacrimans sine cibo trāsēgit. Sed apud ipsos quoque hæreticos præsertim in oppido Caluiniana peste fœdato non nihil in rem animarum actum est. ualde eos Deus nostrorum concionibus excitauit: sed ne multi perspectæ ueritati dent manus, impediuntur metu suorum. Vicini hæretici cædibus omnia terrent; & quos ad Ecclesiam transire compererint, eos comprehensos sine cunctatione trucidant. Nimirum supplicandum est diuinæ clementiæ, ut timida pectora mentesq. corroboret, aut eo timore imbuat, qui exigit & extrudit humanum.

BVRDEGALENSE COLLEGIVM.

BVRDEGALAE grassata est non sine acer-
bis funeribus pestilentia. Octo de nostris ab-
sumpsit, sed ex reliquis viginti millia. Fuit hac con-
tagio tum nostris charitatis occasio, tum civibus So-
cietatis studia perspiciendi. qui quidem à suis ipsi pa-
storibus derelicti, numquam tamen à Societate de-
serti sunt. Testatur ipsa Burdegala, se tam opportu-
num in tanto animorum discrimine auxilium nun-
quam expertam esse. Atque ut amantissimas popu-
li salutationes in publicis vijs, mœroremq. qui no-
strorum consecutus est obitum, prætermittam, incre-
dibilem non modo ijs, qui in nos optime animati
erant, sed inimicis etiam admirationem, nostrorum
studia obsequiaq. pepererunt. Quin heretici ipsi,
qui in omni prope sermone nobis obloqui consue-
nerant, nostrorum postea in ægrotos charitatem ad-
mirati, commendare ac vereri quos oderant, incæpe-
runt. traductiq. sunt per eam occasionem ad veri-
tatem nonnulli: tanti est apud ipsos quoque hostes
vis charitatis. Prodigij simile existimatum est, è no-
stris quemquam pestilentia vim effugere potuisse:
inuaserat enim, ut diximus, nostrum numerum, de-
leratq. nonnullos: & qui extra Collegium suâ agris
operam impendebant, ijs ex esculentis poculentisq.
ministrabatur non semel in die; ut nisi nostrorum
vitas protegeret Deus, cōgressus ipse creare pericu-
lum posset, & acceptam in alios transferre perni-
ciem.

ciem. Nam de eorum salute quid dicā, qui dum ad-
 uentantis morbi pericula loci mutatione declinant,
 huc illucq. diffugere sunt coacti? quocūque enim te-
 verteres, in mediam flammam veniendum erat, aut
 in ea loca, quæ ut essent vacua et libera pestilentia,
 ab hæreticorū certe rabie incursuq. non erant. Prin-
 cipio ægre admodum nostri secunda noctis hora, clā,
 & oclusis publicis portis ad Prioratum B. Macha-
 rij, duce atque auctore gemino magistratu, deducti
 sunt. quò cum sensim pestilens morbus irreperet, in
 alias continuo sedes immigrarunt: seruatiq. sepe di-
 uinitus, tandem honorifice perparuo in oppido, ubi
 Abbatia quædam est, recipiuntur. hic omnium vo-
 luntates & studia sibi conciliāt, & cænobitas quos-
 dam à multis superstitionibus liberant. Quo loco cū
 alia multa diuinam in eos beneuolentiam ac prou-
 dentiam testata sunt, tum quod in hæreticorum ma-
 nus potestatemq. non venerint, etsi id illi ipsius Dei
 causa vehementer optabant; nec ædium ruina, quas
 in oppidulo illo conduxerant, oppressi sint. nam si
 biduo ante illinc exissent, dandum erat hæreticis iu-
 gulum: si biduo post, intereundum ea, quam dixi, rui-
 na. reditum Burdegalam est ineunte ferme No-
 uembre: sed quoniam ne tum quidem satis tutus re-
 ditus videbatur: nondum enim pestilentia vires suas
 plane remiserat; delitescendum menses aliquot fuit
 intra septa Collegij. Iam vero tantam fratrum iactu-
 ram cepit dominus conuocandis nouis fratribus
 compensare: sed loci ac rei familiaris angustia fecit,
 ut Societatem quinque dumtaxat inirent. nec ij
 quidem

quidem sine suorum dæmonisq. uictoria. Erat in his Burdegalensis Senatoris filius, cuius mater omnem mouit lapidem, ut eum de sententia depelleret. adhibuit propinquos & amicos, interposuit auctoritatē magistratuum & senatorum, minas adiunxit, terruit uerberibus; nec tamen labefactare constantiam filij aut cōmouere materna uis potuit. Annus prope abierat in his pugnis, cum profecta rus matre, quattuor ille remigibus cōparatis, qui strenue aduerso flumine remigarent, fuga se dedit. sed quoniam leuiore è pugna uictor excesserat, quò palma esset illustrior, alia grauior est subsecuta. pulsare adolescentis animum sathan cœpit, et patriæ desiderio sollicitare. renouare memoriam domesticæ uoluptatis, & cum sensu quodam pietatis materni paterniq. complexus. nihil erat negocij puerum imbecillum à potentissimo hoste superari, nisi Deus qui imbecillis et sibi ipsis relictis dextram porrigit, manus iam dantem mirabiliter confirmasset. nam dū reditum cogitat, & nauigium eius rei caussa solícite quarit, offert se illico senex non procul Tolosa, ex eoq. quid quæreret sciscitatus, cū respondisset adolescens, nauem se quærerere, ut Burdegalam reuertatur; senex, ne pedē referret hortatus, Prosequere, inquit, institutum iter ò fili: & secundum hæc monita nusquam amplius apparuit: ut facile intelligeret adolescens, quis tandē ille esset & unde missus, qui tã salutaria sibi monita attulisset. Domestici fuga filij animaduersa, ex saturandi odij caussa, quod in nos conceperant, uiris nobilibus dant negociū, ut procuratorem

nostrum, sicubi offenderint, interficiant. Nec pau-
cas conuenerat inter matronas & quidem nobiles,
vt eum certo in loco correptum male mulctarent.
cuius sceleris princeps ne abiret impune (quamquã
coniuratione detecta nihil est actum) æquissimo Dei
iudicio, lapsa per gradus interijt. Non minoris con-
stantiã specimen quindecim natus annos præ se tu-
lit adolescens: nam præter alias communis hostis
insidias, quocum toto anno pugnandum fuit, tentata
est etiam eius pudicitia à petulanti puellarum lasci-
uia. mulieres domesticae duæ, secretum eius ingressæ
museum, lapsa iam die, ausæ sunt castissimum adole-
scentem ad libidinem prouocare. ac profecto com-
ptæ formæ, orationis blanditiæ, osculorum gesto-
rumq. lasciuia, nocte præsertim & solitudine cohor-
tante, nullo negotio expugnare tenerum animum
potuissent, si imparatum à præsijs cælestibus de-
prehendissent. repulsæ sunt impudentissimæ femi-
næ, aut potius is, qui eas submiserat, demon: qui
quidem ne semel à puero vinceretur, alijs eum telis
oppugnans, eadem semper ignominia ac dedecore
fusus est. Adolescens duodecimum agens annum,
prima Societatis fama commotus ei se sine cuncta-
tione dicauit. huic dormienti vox ad aures ac-
cidisse dicitur, moriturum esse breui: experre-
ctusq. cum timore, in preces flexisse genua: af-
fuisseq. repente eximia pulchritudine mulier ami-
cti candido, quæ huiusmodi eum uerbis affa-
ta est; Ades animo fili & omitte timorem, non-
dum moriere, prius voti compos efficieris. quod

X visum

visum cum die insequenti in missa sacro recur-
 veret, pene à sensibus aberrasse: cumq. socij, vt in
 sella paulisper requiesceret, hortarentur, numquam
 de genu surgere, quo semel incubuerat, voluisse. Eidẽ
 de more precanti et tractati animo Christi vulnera,
 Christus quoque dicitur uisus, verberibus laniatus,
 eaq. specie adolescentem primo territum, mirifice
 recreasse. Voluit & suis visis demon, ne quis hu-
 iusmodi visis se pulchrum ac beatum putet, illudere
 mulierum leuitati. Occupabatur mulier in pago
 quodam linteis vestibus eluendis, cum demon femi-
 nam paulisper indutus, grauiter eam verbis, quod in
 eo versaretur opere, castigauit, minitatus fore, vt pæ-
 narum loco, aquæ vrnâ, quam hauserat, postridie cõ-
 mutatam in sanguinem reperiret. mulier summo
 mane ad vrnâ aduolat, rem ita comperit, vt prædi-
 xerat demon, & tremebunda venit ad templum. po-
 stulat à parocho, qui templo præerat, vt in honorem
 Dei Matris eo die sacrificetur. mos mulieri geritur,
 & inter sacrificium iterum sese mulieri demon
 ostendit, eadem qua se pridie declarauerat forma.
 mulier ignara fraudis, rata eam esse Dei Parentem,
 MARIAM exclamat, mirari ceteri, qui nihil cer-
 nerent, & vt agrestes minimeq. mali, prodigium ali-
 quod suspitari. demon chartas duas cruore resper-
 sas, plenas caracteribus feminae porrigit, & nescio
 quid magnitudine nucis, cuius interior pars colorem
 atrum, aureum externa referret. hunc ille panem
 solum benedictum aiebat esse, iubebatq. viritim di-
 uidi, qui presentes aderant. ita callidus hostis omnium
 animos

animos superstitione refererat, ut tamquam sacras reliquias eius panis particulas, si modo panis erat, religiose multi conditas asseruarent. eos vero quos diximus caracteres mandarat pietæ Dei Matris ceruicibus alligari, alia simul addita charta, quam qui oscularetur, eius beneficio peccatorum veniam consequeretur. Ergo tota ad eum pagum vicinitas, ut à suis quisque peccatis absolueretur à muliere, concurrebat. nec de re vlla crebrior erat inter homines sermo, nec quicquam magis celebre, quam Dei Matris presentia atque prodigia. Sed, quod indignissimū erat, iusserat se diabolus & à muliere, & ab alijs rusticis adorari. quod quidem ab hominibus simplicibus & imperitis est factum. quo disseminato dispersoq. sermone, Archiepiscopus, id quod erat, magnopere reformidans, ne qua idololatria sese populus inquinaret, Vicarium suum eo mittit cum Rectore nostri Collegij, ut rem omnem diligenter inquirent. qui multis ac perspicuis argumentis sathane fraude comperta, qui in animarum perniciem ea omnia callide confinxisset, aduocata concione rector, demonis artes detegit, & chartas illas de Deipara collo suspensas, ereptas abijcit. mulierē vero eosq. qui in fraudem inducti erant, ab errore deducit, & ne in posterum ijs visis fidem adiungāt, etiā atque etiam monet, quod periniquo ferēs animo diabolus, dat sese iterum in conspectum mulieri in ade sacra, & se læsum esse grauius questus, vehementer obiurgat, publicasq. penas tunsione pectoris. exigit. quo iniecto terrore mulier imperata facit, arreptoq.

lapide multis inspectantibus pectus tundit, tanta vi
atque immanitate, vt carbonum instar caro nigresce
ret. ac nisi reuocata esset, se ipsa vtique confecisset.
Sed deducetur iterum de errore, & de dæmonis ar
tibus certior fiet, ne in easdem plagas rursus inci
dat. Excursum est in alia quoque oppida cum salute
multorum, præsertim vbi nulla erat ferme religio,
& omnia vitijs atque erroribus redundabant. Qui
bus locis partim liberandis prauis mentibus
ab errore, partim retinendis in veritate
catholicis, reuocandisq. in viam sa
lutis errantibus, eadem,
qua ceteris sedulitate
seruitum est.

